ALBERICI GENTILIS I.C. PROFESSORIS REGII

DE INIVSTITIA BELLICA ROMANORVM ACTIO.

OXONII,
Excudebat IOSEPHVS BARNESIVS, *celeberrimæ* Academiæ Typographus. 1590.

23164. e. 5.

ALBERICI GEN-
TILIS I. C. PROFES-
SORIS REGII

DE INJUSTITIA BELLICA
ROMANORUM ACTIO.

BODLEIAN LIBRARY
5 OCT 86
OXFORD.

OXONII,
Excudebat Josephus Barnesius, celeberrimæ
Academiæ Typographus. 1590.

ROB. DEVORAXIO IL-LVSTRISSIMO COMITI ESSEXIO

Albericus Gentilis S.

QVAE mea, illustrissime ESSEXI, voluntas sit erga te, & qui affectus animi mei in te colēdo, vel hinc sentias licet, quod si vacui tēporis quidquā a muneribus publicis mihi est, id omne arripio; statim, & nomini tuo consecrare protinùs consuevi. Rapuit me in admirationem tui primùm virtus tua: & eadem virtus spectata indies magis magisque meos ita sensus omnes in tui observantiam accendit, vt hoc vnum cogitem semper, quomodo volūtatem hanc meam adprobare tibi, & largiter contestatam efficere possim. Et verò quid attinet, favorem, quo me prosecutus absentem es, memorare? Quid humanitatem, quâ me semper excipere soles? Quid illud, quod ego summi beneficij loco duxi, quòd filiolo meo ad sacrum fontem pater esse, & nomen tuum latè inclytum communicare voluisti? Hæc scilicet virtutis illius tuæ opera tantò mihi acci-

 derunt

derint gratiora, quantò attigerint me propius, aut me veriùs vnum contigerunt. Sed est Actio hæc noſtra tibi debita, qui libroſque tenes a nobis de iure belli, aut parentes hujus Actionis, aut certè a quibus ſeparari ipſa ſine flagitio non potuiſſet. Quod ergo tua tibi virtus, quod merita in me tua, quod jus tuum a me in præſentia munuſculum hoc novum ſumunt, & tu, obſecro, ad te venire patiaris, & apud te eſſe ſinas, vt, me tuum a longo tempore, tibiq; addictum in perpetuum eſſe, cerni vbiq;, & intelligi queat. Nam ad munus ipſum quod ſpectat, ſi noſtram dictionem huic argumento imparem vides, quod eloquenter tractari oportuiſſet, id tu ſtudijs noſtris condonaveris, quæ in iſtas literas amœniores deſcendunt rarò, ſed in aſpretis Iuriſprudentiæ habitant. Nec ego volui ſanè oratoriam iſthîc profiteri, at notare magis cenſurâ ſapientiæ geſta terrarum principis populi; & recti officij, veræ virtutis atq; iuſtitiæ rationes paullò veſtigare diligentiùs, quàm facere commune literatorum vulgus ſoleat, & ſcriptorum narrationes, atque ſententiæ tradiderunt. Eſt nobis in cenſendis narrationibus maior, quàm in dijudicandis

sententijs difficultas. Si enim testimonia auctorum conveniunt, nobis nihil relinquitur, quo contrarium disceptemus, nisi ratio coniecturarum: quam firmam non esse satis, cùm nomen monet coniecturarum, tùm quod ipsarum potissimæq; nec cæteris vim meliorem sortitæ sunt: si verum nos docēt Aristoteles, & Quinctilianus, qui multa hominibus credibilia, & verisimilia asserunt, quæ falsa sunt frequenter; & vera esse plurima, quæ incredibilia penitùs videantur. Hoc in sententijs scriptorum expendendis non contingit: nam eodem sumus nos loco atq; illi, aut etiam meliori, qui studio partium non imbuti, & sæculis succedentibus magis instructi ad iudicandum accedimus. Cæterum nec denegatum est nobis testimoniorum iudicium, quod ipsiq; rerum scriptores alius adversùs alium exercere non infrequentissimè solent: & rerum, iurisque auctores latissimè notant argumenta, quibus testimoniorum omnium elevare fidem possimus. Socrates etiam, vt est apud Platonem, minus se testibus mille credere, quàm rationi vni, sapienter, & summa cum ratione asserebat. At verò nos in Actione hac nostra iuris præcipuè

tractare sententias pro munere nostro voluimus & de iniustitia disputare, quâ argui populus Romanus posse in bellicis, hoc est, in longè nobilissimis gestis suis, videtur. Id vtor verbi, Comes excellentissime, quoniam Defensionem Romanorum, & disputationem huic adversariam de ipsorum iustitia bellica paratam habeo. Quam afferamque tibi, si Actionem audieris priùs, & Defensione illâ opus Romanis esse censueris. Vale, vir nobilissime. Oxonij. prid. natalitiorum Domini. CIↃ. IↃ. XC.

ALBERICI GENTILIS
I. C. professoris Regij
DE INIVSTITIA BELLICA
Romanorum Actio.

SI quando mersam in profundo veritatem, vulgò dictum est verè, vnde & illam educere, non humanarum virium, aut nostrûm cujusquam industriæ, sed potestatis majoris, & proprium ejusdem veritatis parentis opus esse videtur: nunc profectò demersam profundissimè, tantumq; non submersam, & extinctam prorsùs, audacter nobis clamare licet. Licet & inclamare, sed non Quirites, & Cęsarem, qui facinus istud patrârunt; at te vnam, *ò fides alma, apta pennis, iurandum Iovis*: quę pro genuina tibi veritate contra mendacia turpissima, & calumnias iniquissimas adsis: vt eam alis in altum productam tuis, & Iovis patris magni assertam manu conspiciamus: nec orbem terræ posthac, tot respublicas nobilissimas, tot imperia illustrissima vrbi vni in Palatino colle iustitia & virtute annos concessisse mille amplùs existimemus. Id verum credidimus hactenus, quando veritas oppressa malis malorum scriptorum artibus jacuit: de quibus populum Romanum sanctum, populum Romanum pulcrum, populum Romanum invictum, populum Romanum omni virtutis genere excellentem auribus, oculisque attentissimis hausimus. Et istis scriptoribus scilicet, specie nos inducti eruditionis ipsorum summæ, & blandiloquenti eorundem oratione perducti, credidimus, auditores, credidimus, & decepti sumus. Hæc mea hujus diei actio est, vt Romanam injustitiam bellicam detegam, & persuasam omnibus de illorum justitiâ opinionem revincam, excutiam, perdam. Neque mihi excitatus tamen ab inferis Philinus est, aut alius vllus, qui partium Romanarum non studiosus, suggerat hoc tempore argumenta, quibus vanissimas reliquorum narrationes, & testimonia levissima arguamus. Sed quæ relicta

sunt vi nunquam pereuntis veritatis, quæque dissecta, & dissipata, tamquam in horribili naufragio colligi piâ, & sedulâ operâ potuerunt, ea collegimus nos, & ijs freti, antiquitatem omnem provocare, consensum hominum inveteratum disperdere non dubitamus. Agite, mortalium acertimi Europei, Lybes prudentissimi, potentissimi magnæ Asiæ populi, agite, huc convenite, & mecum vnà genti Romuleæ coronam detrahite, quam geritq;, deq; nobis omnibus partam triumphat. Huc fortissimi convenite Itali, duri Germani, bellicosi Galli, indomiti Hispani, feroces Britanni, & triumphantem per dolos malos de vobis, & per malitias malas Romuli populum vincite. Quid tu Græcia nobilis? Quid Macedonia domitrix populorum? Quid tu Africæ tuæ perfectissimum columen Carthago? Quid Persæ, Medi, Assyrij, vetustissima, & latissima regna? An potestis illum audire vociferantem, *Virtus militaris populo Romano nomen, vrbi æternam gloriam peperit, orbem terrarum parêre huic imperio coëgit?* Imò, vt pro orbis reliqui dignitate ego contendam, imò non ita est, M. Tulli: Sed barbaricæ fraudes, fallacia, & perfidia; crimina illa barbarica avaritia, & audacia hoc vobis imperium peperêrunt. Ecquæ fallacia, perfidia major, quàm vt sacrilego incesto nati Deum sibi patré vindicarent? Fabulam tu quidem Cicero dicis, sed horrendæ impostuę nomen suum non imponis, & ludi hæc vobis crimina fuisse significas. Educti illi sub fornice, latronum coacta manu, & seminario futurorum sato bellorum injustissimorum, agrum occupant alienum, vbi aliam, sed tetriorem Caci cavernam, aperto asylo, alijs quibusq; perditissimis futuram receptui, exædificarunt. Quam tu aliam Philippe rex πονηρὰν πόλιν appellasti? Hæc vna improborum colluvies improba barbarorum; si barbaros rectè notavit Plato eos esse, qui nulla inter se morum sermonisq; communione devincti sunt. Huc n. Troia profugi, ex Hetruria, ex Opicis, ex Latio, ex Græcia, vndiq; transfugæ, linguis diversi, institutis discordes convenêrunt. Hæc improborum civitas improba, in qua primum facinus parricidium alter ille conditor, & creator maximus perpetravit. *Parricidio Roma consecrata*; ait Hieronymus. Mœnia illa fraterno sanguine structa: --*fratervo maduêrũt sanguine muri*; canit Lucanus. Et Romulum tamẽ aliquis historicorum, vel poëtarum dixit,

xit,aut finxit,nec occidisse fratrem, nec allquod perpetrasse flagitium: vt notat Augustinus. Vnde certissimam habeamus nos coniecturam,& validam valdè,nihil esse penitùs a Romanis vnquam,& maximum,& clara luce factum turpe, quod scriptores mendacijs suis non invertant,&omni machinatione,atq;calliditate pervertãt. Cæterùm parricidij huius memoria certa manet,& æternis consignata monumentis perdurat. Quæ igitur,Iliæ fili,quæ causa parricidij? Facinus enim defendendum est tibi, quod admissum negare non potes. At verò audias priùs nepotem tuum Papinianum, qui, parricidium patrari faciliùs,quàm excusari,Cæsari Antonino itidẽ parricidæ respondit. Ludibrio,ais tu,mea habuit mœnia, & per ludibrium transilivit. Tua,Romule,in quibus condendis frater non minùs elaboravit? At pronunciet hîc Romulus Arpinas: *Muri speciẽs honestatis nec probabilis,nec sanè idonea: & peccasti Quirine.* Quæ itẽ tua,Romule,perfidia in augurio renunciando? Vidit augurium frater primus: imò solus: quando nec maius,nec vllum tibi postea conspectum est,& maius altero tantum conspectum asseruisti. Nullane fides regni? Illam tu tertio regi Romano,& sanguini tuo Cæsari prę ivisti sententiam, regni causam violari jus oportere,pietatem in reliquis colere? Recolite vos hîc auguria spectatores, aves raptoviventes: sed & horum puerorum altricem picum, suraciſſimam, audaciſſimam avem: sed & altricem feram recolite, cuius dentes famelicos; & profundum inexplebile nullæ vnquam satiare rapinæ potuêrunt. Ostenta enim hęc,& portenta sunt civitatis futuræ,istorum gemellorum filiolæ,quæ quotidiè aliena per infinitam rapinam sibi arripere,de alijs vndiq; rapere debuisset. Age tu,M. Tulli, respice ad parentis virtutem vestri, qui novæ vrbis agro fines non ponit, quò vicinis subindè præciperet;& bellandi libidine insanus (ita Plutarchus) occasionem bellandi ilicò nanciscerẽtur. Quid? Cum nec fraude ista proficeret,essẽntq; Itali almæ pacis artibus studiosiores, quàm vt cũ barbaris turpissimis,& perditis parricidis digladiari vellent: tum sacris in spectaculis medijs mulieres ad se invitatas rapit; & iura divina disturbat,iura gentium profligat, hospitalem gratiam,apud alias barbaras gentes omnes inviolabilem,violat, sanctissimum fidei pignus penitùs tollit perfidus,sacrileguſq;, qui Consi

Dei consilium sceleri huic singulariter immani obtendit. Invectus in facinus facinorosum sæpe Tertullianus, invectus Augustinus, invectus Minutius, qui desponsatasq;, destinatas, maritas raptas scribit, contra quàm persuadere alij de virginibus tantùm voluerunt. Exclamat Virgiliusq; *---& raptas sine more Sabinas.* Quod si nobiles illi populi cõnubium vobis denegârunt, num reprehendere, Quirine, potes, qui in tua illa sicariorum turba vix centum deprehendisti, qui patrem ciêre potuerint: quos & senatores fecisti: cum reliqui omnes tui similes sine lare, sine cognomine, terræ filij, aut Erebi potiùs essent? Vos patricijs cum reliquis populi vestri, cum alijs civibus vestris jus nuptiarum esse non voluistis. Alienos a vobis hîc socios etiam Latinos feeistis. Et vobis illustres illæ gentes connubia non denegassent? Sed negaverint etiam iniustè, & non probè vobiscum detrectaverint affinitatem, an propterea iustè tu, & probè tantum, ac talem raptũ confeceris? Necessitas (quod dicebas) vim excusabit? At non vis turpitudinem. At nulla necessitas excusatur, quæ potest non esse necessitas: vt docuit Tertullianus rectè. Credo autem pares vobis coniuges deesse potuisse, qui asylumq; mulieribus, puto, clausum non habebatis. Ecce virtutis illius Romanæ specimina prima. Nam strenui hi hospitum inermium, puellarumq; victores, dum armatos mox earum parentes habent, & cum ipsis conserunt manus, in vrbe sua cæduntur media: quiq; regni consortem, regni vnà fundatorem, & fratrem ferre geminum nequijt, is hostẽ in regni partem habere coactus est. Habes Romule, habes quod meruisti. Non ferebas in vrbe illum, qui angustissimo matris sinu tibi adhæsit, & vnus ferè tecum fuit. Nunc feras isthîc peregrinum, & hostem necesse est. Imò verò necesse non est. Quem etenim spoliare armis per Tarpeiæ virginis dolum non potuit; nec satis per allegatas fraudare Sabellas, insidijs suorum Lanuviorum mox obtruncari, sibiq; de medio tolli curat. Non legistis apud Dionysium, auditores, quam virgo illa vafram inierit rationem, vt hostes perderet? Pacta his proditionem arcis fuerat, si quæ in finistris gererent, omnia in remuneration em facti acciperet. Nudare scilicet scutis eos volebat, itaque suis cædendos dare. An puellæ commentum putemus? Imò illorum fuit, qui Tarpeiæ solennes inferias constituerunt:

runt: quiq; congredi cum armatis non audebant. Quid verò per Sabellas tentatum existimamus? Non ea sponte inter tela volantia se intulerunt, sed legatæ a Romanis sunt missæ, vt Dionysius verisimiliter magis scriptum reliquit. Tentata proculdubio alia omnia fuerunt, quàm partitio regni, quæ facta est. Tatij porrò cædem nec sine auctoribus adscribimus parricidæ, cui bonoq; fuit ipsa, cuiusq; cognati eam patrarunt. Bellicosus item Romulus vltionem socij regis non quærit: sed ad suum tribunal sistentes noxios absoluit, quod videretur cædes iure facta, vi scilicet pro vi reddita. Itáne carnifex? Et perperam Tatius egit, qui Sabinos suos a te vinctos, inimicisq; deditos, eripuerit? Et neglexerit ille iustissimas Lanuviorum querelas, an propterea Romulus, nihil cunctatus, alterius sibi partes desumet? Et quoniam id in se fieri Tatius passus non est, cæsus iure a Lavinienſibus erit? Et quoniam istis ilicò non ficta Tatio satis, regem propterea, sacrum gentibus quibusque caput, etiam interque aras deorum, & solennia sacrificia tamquam victimam mactare, fas fuerit? Lavinium ad solenne sacrificium veneratille. Num creditis, in Lanuvinos admissi vllius a se sceleris fuisse cõscium? Et ibi hospes, rex, sacerdos in conspectu deorum immortalium interficitur iustè? Cæterùm quã parricida Romulus cædem iustam pronunciavit, eam grauissima insecuta pestis vlta est latè vt scilicet Remique necem parta mala vindicarunt: de quibus Plutarchus, & Cedrenus exposuerunt. Hic verò fraudis, & perfidiæ a raptu mulierum finis. Verùm ex finibus agro non positis tandemque fraus, quam ardentissimè quæsijt, infinita. Romule, terminos cur agro non posuisti? Malæ mentis significationem invadendi circumquaque vicinos hoc factum periti iuris, & rerum scientes interpretantur: & re ipsa tu tuum hoc fuisse consilium ostendisti. In Fidenates enim hinc belli causam arripis, quoniam abigere prædas isti de agro tuo Romano visi sunt. Quasi eripi vobis quidquam valuerit, quorum patrij soli (vt Florus ait) gleba nulla esset, sed statim pomœrium, & omnibus portis in alienum exiretur. Ista autem (quod idem scribit) quasi contagione quadam per singulos itum est, & proximis quibusq; correptis, totã sub vos Italiam redegistis. Vi, atq; iniuria sub Romulo occupatum imperium, eodem dicimus auctore. Et quidem

bella inferre finitimis, & indè in cætera procedere, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere, & subdere, quid aliud, quàm grande latrocinium nominandum est? Sed an exorsi longissimam orationem non sumus, si regum omnium, ducumq; gesta expendimus? Verùm compendio vtar deinceps: quandò Minutius Fœlix vereq; scribit, *Cum Romulo regibus ceteris, postremisq; ducibus disciplinam communem, præditaq; audacia esse quicquid Romani sub imperium retinêrent*. Ergo te mitto iam, latro, parricida Romule. Qui fratrem, qui Numitorem auum, vel auum Amulium, (nam de illo Orosius, de hoc Cedrenus iunctus Livio dicunt) qui Tatium regni consortem interfeciſti. Quæ propter scelera inexpiabilia hærç ditare te regni Albani excidisse, vnum sive Numitoris, sive Amulii hæredem, aut quam aliam ob causam regem te Albæque non fuisse existimabimus? Et legem parricidis non constituisti, quoniam patrari a quoquam scelus tantum potuisse non credebas? O hypocritam impudẽcissimum! ô scriptores vaniſsimos! ea, ea est intolleranda hypocrisis, quâ nepotes huius parricidæ gesta omnia sua conspersêrunt. Audite Martium Philippum, quem intelligetis mox suis habitum impostorem turpem, *Favent pietati, fideiq; dij, per quæ populus Romanus ad tãtum fastigij venerit*. O impostaram artificiosissimam, quâ rapinam orbis terrarum iustam ipsi etiam orbi ad probârunt! Adduxit Romam non tria hominum millia Romulus septem amplius & quadraginta sub mortem habuit. Palmum terræ a principio suum ostendere nequivit moriens ad vsq; littora maris, nec multo ab alijs partibus agrum suum angustiorem conspexit. Rapina corporum, rapina rerum immanis.

Quis procul ille autem ramis insignis oliua
Sacra ferens? Nosco crines incanaq; menta
Regis Romani, primus qui legibus vrbem
Fundabit.——

Rectè a sanguinario Romulo, & illege procul, qui sequitur Numa, vir Italicus, & fidei, & pacis amantissimus, & iustissimus vnus. Sub cuius regno diuisissimo animi illi efferati quieverunt: & aurea patris Iani secula Latio rursus, regnata per arua Saturno quondam, condita sunt. Neque enim finitimi populi, læsi licèt vehementer a

 Romulo

Romulo fuerint, licetque lenem Numæ animum contemnere posſent, pacem vnquam ſollicitârunt. Ipſi ſollicitârunt Romani mox a Numa,

——cui deinde ſubibit
Ocia qui rumpet patria, reſideſq; movebit
Tullus in arma viros.——

Quid quęſo, quid tuum iſtum gentilem Tullum, M. Tulli, in patres Albanos movit? Nihil, ait Auguſt. niſi hoc ipſũ, reſides vt moveret in arma viros. *Ferocior Romulo vndique materiã excitandi belli quærebat*; inquit Livius. Apud quem, Dionyſiũq;, alioſq;, reliquas Albani belli rationes regis huius improbisſimas & crudelisſimas, legimus: vnaq; horâ quadringentorũ annorũ opus, quibus Alba ſteterat, vrbem regiam a primo ortu, vrbem Latij principem, vrbem parentem, excidio, ac ruinis datam, & ruinis Albæ cernimus creſcentem Romam. Mittamus alia Tulli, reges reliquos ſilentio penitùs involvamus, progeniem patribus vitioſiorem, &, juxta veriſsimum Siculæ anus oraculum, ſemper deteriorem. Pares certè inter ſe reges omnes fuiſſe, & Cicero ſcriptum reliquit. Habemus ſenatorum manibus diſcerptum Romulum: exuſtum cum tota domo inſidijs Anci Tullum, vt refert Zonara: Tarquinium quaſi bovem mactatum ad lanienam: Seruium generi manu cæſum, & filię calcatum pedibus: Superbum ſuperſtitem filijs, ſenem, in exilio defunctum. Num virtutis quidquam in ea civitate fuiſſe credamus, in qua aliud ſuper aliud continua ſcelera tragica conſpiciamus? Num foris iuſti cum alijs fuerint, qui domi ne tantillum quidem iuſtitiæ habuêrunt? Selecti illi ſui conficiunt Romulum: Ancus Tullo regnum, & vitam adimit: Anci ſobolem fraude tutor Tarquinius de regno dejicit: Tarquinium filii Anci tollunt: quibus in paterno, proavitoq; imperio ſervus ſervâ natus, & maximo populi conſenſu præfertur: & hic verna filiorum ſuorum poſteà fœdâ conſpiratione occumbit: filij autem iſti regno extorres, miſeri, regnique finis extitêre. Hæc infantia populi Romani dicitur, quâ circum ipſam matrem ſuam, aut in viſceribus potiùs matris ſuæ catulus viperinus lùctatus, & graſſatus eſt. Secundus vrbis conditor Brutus ille eſt, cui à brutorum moribus nomen obtigit: quemq; decuerat longè magis hominem antea

 mori,

mori, quàm vitam agere brutorum, & bruti appellationem sustinere. Et accepimus sanè, Socratem nec orationem vnam recitare passum paullo molliorem, atque quod supereſſet ex vita, perire sibi, quàm quod præterierit maluisse. Brutus is, alter reipublicæ Romanæ pater, in regem perfidus suum censebitur nihilominus, quàm progenies eius perfida in Cæsarem dictatorem extiterit: quæ damnata sententijs summorum virorum, & summorum Theologorum est. Quem etenim à Tarquinio rege magistratum tenebat, in Tarquinium exercuit perfidus. Perfidus & in collegam levicula, aut nulla potiùs nominis occasione: quod Augustinusq; in libris de civitate Dei adnotavit. Ecce autem nobis, auditores, in bello hoc regio iniustissimum illud Scævolæ facinus, quod Romano approbante Senatu, sicarius nequam aggressus est. Neque enim licet, non licet, latronis, & sicarij more hostibus insidiari. Latuit inter Hetruscos Scævola, ab nutrice Hetrusca edoctus illorum linguam. Exuat, exuat proditorem, & grassetur, si audet. Theodotus Aetolus (quod habet Polybius) Ptolomæi castra, tentoriumq; ingressus est palam, & quos nactus est, obtruncavit, & incolumis ad suos redijt. Sed audite etiam Sinonem Romanum, & quid regi optimo pro pio in se affectu respondit: *Quandoquidem*, ait, *est apud te virtuti honos, vt beneficio tuleris à me, quod minis nequisti: trecenti coniuravimus iuventutis Romanæ, vt in te hac via grassaremur*. Et quæ sequuntur apud Livium plusquàm Sinonica. Sed hæc sexcenta sunt. Ita idem senatus probavit Martij Philippi in Perseum regem dolos turpes, calliditatem Græcam, versutiam Punicam ait Livius, & patrias Romanas artes dixisset rectiùs. Ita Fabij, qui naves regi Antiocho secuit, præstigias (latinè Valerius loquitur) adprobavit. Ita ille Divum genus Scipio bellum, & perniciem contra Siphacem parat intentissimè, & interim de pace ineunda legatos ad regem mittit, qui specularentur apta insidijs, & pacis spe hostem incautum facerent: cumq; omnia parata sibi sensisset, tum nunciat regi, placereq; sibi tractata omnia, sed consilio suo improbari: itaque redeundum esse ad bellum. Quid hoc sceleris dicam? Quid, quæ commemorare non vacat, alia multa? At facere hîc non possum tamen, quin in Romana mancipia, Romanarum rerum scriptores, commovear, quorum est

illud,

illud, *Populus Romanus victus vi, & superatus prœlijs sæpè est multis, bello verò nunquã, in quo sunt omnia.* Nũquã, Lucili, bello Romanus populus victus? At vicit Tatius, qui regemq; se, & Sabinos suos in vrbẽ intulit: quiq; nomẽ mutavit populo, & de Romanis Quirites fecit. At bello hoc regio vicit Porsena, qui Romanos agro multavit, arma eis ademit, ferrũq; nisi in agriculturę vsũ non reliquit: cui regi liberũ iudiciũ (id, qꝑ bello quærebatur) in causa pulsi Tarquinij permissum est: cui dedita vrbs est. Quæ Dionysius, Plinius, Tacitus, Plutarchus cõmemorârũt. At vicit Brẽnus, quiq; cũ illo ex Galliis, & Britannia isthuc venerũt, scelere vestro provocati, armis sceleratis petiti, suá ne ipsorũ virtute, an vestra prorsus vincẽtes imbellia, incertũ est. Sed bello certè vos devicerũt, vrbẽ vestrã, si rupẽ excipis, tenuerũt. Vos redẽpta capita in redẽpto solo habitatis. Nã cæsos, fugatósq; a Camillo Gallos posteà, id demũ scribere impudentiũ est mancipiorũ: quãdo quidẽ, exulẽ inopem, re publica accisa, & prostrata, id potuisse, tum credere homines debuissent, cum fortisq; viri vim truncus pedum, manuumque, & trunco reliquo affictus humo vincere visus fuisset. Verum de Polybii, aliorumque libris, pacem cum Gallis pro istorum arbitrio initam, naves ad Tyberim transeundum Gallis tributas, & aliò exercitum invictum proficiscentem de victoria, & vrbe subacta, longumque possessa, literas ad suos exaravisse, ad eósque tandem fortunis omnibus integris rediisse, constat. Quid tamen vetera ista conquiro, & me quasi in obscurum aliquod antiquitatis antrum concludo? Nos, nos Piceni, ducibus Asculanis meis, in sũmo Romani imperii fastigio, Romanos bello devicimus. Atque rideamus etiam hîc licet historicos, qui pro civitate Romana consequẽda bellatum ab Italicis, eósque civitatem consecutos tradunt, & bello tamen victos affirmant. Eccur victos Italicos affirmatis? quia victi prœliis multis sunt, & plures ipsorum vrbes, ipsumque Asculum captæ sunt? At non hoc est bello vinci, sed prœliis. Bello vinci est, petitis excidere, hostibus certata relinquere. Et Italici igitur nõ victi, sed victores, qui potiti voto sunt, & belli fine, iustiùs censeantur. Inania illa sunt, auditores, commenta, quæ in facto hoc datæ civitatis confinguntur: populum Romanum non petentibus superbè, nec exigentibus hostiliter, at sub ipsius arbitrio iacentibus,

quæ propria eius gentis fuit magnanimitas,tribuere rem defideratam,& expetitam Italicis ſocijs maluiſſe.Nam cæſo Rutilio Conſule,alijſque rebus per noſtros maximis geſtis,vrbibus expugnatis,deletis exercitibus Romanis, ex lege Iulia nobis ciuitas delata fuit. Quid nunc memorem Parthos Romanorum victores ſemper?memorat Trogus.Vincendos ego dixerim Romanos ſemper,niſi vnus itidem noſter Aſculanus Ventidius extitiſſet, qui Parthos ſemper victores ipſe vnus victos Romanis efficeret. At verò redeo ad Gallos,& ad tertium vrbis fundatorem Camillum. Is Gallos (cæſi Galli,& fugati credantur)cur cædit? Cur fugat? Numquid Senatus,populus,& quicquid Romæ erat Romæ, ſine iſto magiſtro paciſci cũ victoribus nequiit? Cur ergo Caudinæ pactioni non ſtatur, quam tot magiſtratus pepigerunt? Pallium ſcilicet hîc revoluitur, vt in proverbio eſt,&,magiſtratus ſine Senatus& populi auctoritate conuenire non potuiſſe,contenditur. Itáque Corſi,itáque decepti Numantini. Et ita ſive in vrbe cum iſtis contraxeris,ſive peregrè,certum nihil,nihil rectè contractum cenſebunt,quod libidini ipſorum non ſatiſfaciat. Et eſt illud vtique importuniſſimum in argumento hoc fœderum,quod Romani ducum ſuorum pactionibus ſe obſtringi non poſſe contendant, niſi eáſque ratas ipſi habuerint:alios populos tamen ſuorum ducum conventis obligari velint,nec ſi populi illi conventiones ſuorum adfirmaſſẽt. Id in fœdere cum Aſdrubale icto voluerunt,quo Carthaginenſes ſe non teneri,ab ipſis non ſancito,veriſſimè reſpondebant,& vana eſt Polybii,Liviiqúe contraria diſceptatio,qui Romanos tuentur, quia adjici ex ducum ipſorum parte diſertè ſoleret in fœdere,*Ita id ratum fore,ſi populus cenſuiſſet*:ex Aſdrubalis autem latere exceptum quidquam tale non fuerit:& tot annorum ſilentio ita vivo eo comprobatum ſit fœdus, vt ne mortuo quidem quicquam mutaretur. Quid enim ſi diſceptationis caput primum,quod huius eſt proprium loci, breuicula interrogatione diſperdo? An igitur ſi ſine illa exceptione dux Romanus ineat fœdus,hoc Romanos tenebit? Nonne vos hiſtoricos vanitatis manifeſtæ pudet? Alterum caput de ſilentio per iuris itidem imperitiã induxerunt:quando nõ ex ſilentio,re nihili,ſed verbis, factiſvé obligari homines,leges oſtendant. Aſt ſi pactiones ducum veſtro-

rum vos non tenent, & illas pro libitu, & libidine veſtra reſpuitis; num etiam non cenſebitis æquum, integra omnia adverſariis conſervari? Cenſent profectò, ac ſanciunt iura, quæ de civitate veſtra profecta, in hunc vſque diem ſanctè ab omnibus cuſtodiuntur. *Reſtitutio ita facienda eſt, vt vnuſquiſq; in integrum ſuum recipiat:* ait Paulus. *Reſtituere videtur, qui in priſtinum ſtatum reducit:* inquit Vlpianus. *Reſtituere eſt poſſeſſorem facere:* dicit Caius. *Eſt cauſam reddere, & omnem conditionem:* vt loquitur Proculus. *Eſt id facere, quod fuerat:* vt ſcribit Tertullianus. Quid ni igitur, Romane, ſi ſponſionis ad furculas Caudinas factæ pœnitebat, legiones reſtitues, vnde per ſponſionem eductæ ſunt? Quid ni recipiat Samnis quod integrumque illi fuit pro arbitrio ſtatuendi de legionibus veſtris? Recipiat colles illos, & vos imis incluſos anguſtiis? Poſſeſſionem corporum veſtrorum recipiat? Cauſam veſtram, & condicionem omnem deploratiſſimam cur in præſentia non habeat? Non habeat id, quod erat? Nunquamne cauſa deficiet, cur victi pacto non ſtetis? Obſides Porſenæ dediſtis, furto (hoc credam, non enataſſe puellam Tyberim) ſubduxiſtis: auro civitatem a Gallis redimiſtis, inter accipiendum aurum cæſi ſunt: pacem cum Samnitibus pepigiſtis, eam iritā facitis: & ſemper aliquam fraudi ſpeciem iuris imponitis. Quid ludibria illa religionum referam, & pueris vix dignas ambages, quas ſenes veſtri, ac Conſulares fallendæ fidei exquiſiverunt? Dum Samnitibus deditur Poſtumius, qui ſponſionem inierat, fœciali Romano femur genu perculit, & clara voce ait, ſe Samnitem civem eſſe, fœcialem a ſe contra ius gentium violatum, eò iuſtius bellum Romanos geſturos. At non ſunt hæc ludidria, & luſus? Et his tamen fides publica liberatur? Forſitan, ait Livius. Forſitan? Et in dubium revocat? Hæccine reſtitutio? Civis Samnis Poſtumius eſt, quem Samnites non receperunt? Civis Romanus an manſerit, diſputent Manilius, Scævola, Brutus, Pomponius, Modeſtinus, alii juriſconſulti, ſed factum civem Samnitem nullus dixerit. Pari porrò perfidia nec Regulum reſtituere Pœnis volebatis: imò retinere illum vi tētaſtis, vt Suida recitat: poteſtatem vtique feciſtis manendi, & Pœnis non eum dedituros vos ſpondebatis: quod Zonara retulit. Iuſtitiam in vili capite aliàs coluiſtis, cum Annibali periurum remiſiſtis mili-

tem ad Cannas captum, commento neſcio quo fidem ſuam ſolutam reputantem. Ita eſt, tyrannicum illud documentum tenetis probè, Servandam in parvis iuſtitiam, vt iniuſtus eſſe in magnis poſſis. Hoc illud, hoc eſt, quod Lactantius ſcribit: *Quantum a iuſtitia recedat vtilitas, populus ipſe Romanus docet, qui per fœciales bella indicendo, & legitimè iniurias inferendo, ſemper q; aliena cupiendo, at q; rapiendo, poſſeſſionem ſibi totius orbis comparavit.* At verò cauſam Samnitici belli etiam intelligamus, vt revincamus paſſim hiſtoricos, qui arma nunquam, niſi iuſtis de cauſis ſumpta a Romanis tradunt. Negant Campanis auxilia contra Samnites veteres ſocios; in ditionem tamen venientibus largiter opitulantur. Quid tamen vel in ditionem accipiunt litigioſam rem, & perditam ferè, ſociiſque quæſitam? Feram vulneranti intercipi ab alio non oportere, Trebatius iuriſconſultus admonuit: cuius & opinio probata a Friderico Cæſare, & moribus prorſus recepta eſt. Dicite Quirites, & Sidicinos itidem ſe dedentes cur non recipitis, & contra eoſdem Samnites defenditis? Seram deditionem, vltimáque tandem neceſſitate expreſſam aſpernamini? An magis illexêre cupidinem veſtram Campanæ opes, vberrimus totius Italiæ ager, ager naturæ gaudentis opus? Hoc verius. Hîc puncto tempore, vtilitate fidem eſſe antiquiorem, obliti eſtis. Quid iam alias memorem Italicas gentes iniquis Romanorũ armis oppreſſas? Deleta Auſonum gens vix certo defectionis crimine, perindè ac ſi internecino bello certaſſet: ait Livius. Calabriæ arma illata, quaſi recepiſſent Pyrrhum, ſed re vera vt Brũduſio potirentur, portu in Græciam oportuno: ſcribit Zonara. At placet, a patrijs calamitatibus, in quibus & diu commorati ſumus, avertere animum, & aliò cõvertere orationem. Hæc populi Romani adoleſcentia, qua Italiam ſubiugavit. In Siciliam quæ cauſa devexit arma Romana? Cum viderent, ait Florus, opulentiſſimam in proximo prędam, cupiditate eius exarſerunt. Et hac quidem præda ſollicitante, ſed ſpecie Meſſanæ oppugnatæ, & fabuloſæ originis, vt quis neſcio panegyraſtes dicebat, quâ ſe Romanis Mamertini imputavêre, arma in Siciliam commoverunt. Et iudicârunt tamen turpiſſimum, Mamertinos iuvare flagitioſiſſimos homines: vt relatum a Polybio eſt. Hinc primum cum Carthaginenſibus bellum, veterrimis ſocijs.

Nam

Nam auxilia cum decreviſſent Mamertinis, nec mitterent, Mamertiniq́ue ad Pœnos refugerent, & hi miſiſſent, tum boni ſocij Meſſanam factam Carthaginenſium, libertati reſtituere connituntur. Vincuntur a Poenis primùm: & iſti quoq́ue reſtituunt triremes captas, vt fœderis fracti Romanos clariùs coarguerent. Ac fregerunt ſanè fœdus Romani, qui in Siciliæ partes, quæ parebant Carthaginenſibus, navigare, ex fœdere non potuerunt: tantum abeſt, vt eò etiam ſocios oppugnatum accedere valuiſſent. Parebat autem Meſſana Pœnis. Et non aptè in quæſtione iſta contrarium, & adverſùs Philinum Polybius diſputavit. Pergo porrò. Venit in colloquium dux Carthaginenſis. Capitur improbè, a Mamertinis, an a Romanis dominis? Excedit cum omni exercitu ex tota Sicilia. Petitur, vt Romaniq́; diſcedant. Surdæ ad tantam æquitatem aures. Belli huius primi, quod cum Carthaginenſibus geſtum eſt, præda iudicio, & ſententijs omnium iniquiſſima, ſecuta eſt Sardinia, per ſummam iniuriam, contra omnium fœderum iura: inquit Polybius, & rem ita eſſe luculentiſſimè declaravit. Quæ in Corſos, reſiduam inſulam, cauſa, aut occaſio belli? Invenerit nemo, quia nec vlla fuit. Habent Italiam, & inſulas. Habent mox Hiſpaniam, pulſis illinc ſecundo bello Carthaginenſibus. Et belli huius non melior Romanis cauſa, quàm primi fuit. Neque enim his aſſentiri oportet, qui contrarium diſputant, partibus Romanorum addictiſſimi. Siquidem narrat Plutarchus, Saguntum civitatem Annibali perfidam, omniq́ue dignisſimam malo, habitam ab eo tamen clementisſimè. A Romanis factum illic iniquè, Annibal ait. Alij a Romanis obſeſſam, non ab Annibale, tradiderunt. Ita ſe tamen habeat res, vt deſcripta a Livio eſt: quid nos in Pœno reprehendemus, ſi Saguntũ ſuorum hoſtium munimen, & perfugium aggrediatur? Nec Romani pro iniuſtis ſocijs cõtra Carthaginẽſes ſexto iam fœdere iũctos, & iuſtum ius proſequentes, capeſſere bellum potuerunt. Nihil hic differo, ſi Saguntinis poſthumis ſocijs cautum fœderibus erat. Qua tamen in re definienda præcipitem fuiſſe Livium animadverto: & leges in contrarium declinare plures, vt præſentibus imò ſolis proſpectum ſocijs, non etiam futuris, exiſtimari debuerit. Sed illud dico rurſus, contra veteres ſocios arma pro novis adſumi non decuiſ-

se. Romanorum etiam socios iniurios sibi persequi bello Annibalē potuisse, quis neget? Sive igitur Annibalis partem considerāmus, sive partem Romanorum: iniustitiā horum liquidò deprehēdimus. Tenent Hispaniam; in quam vnius Sagunti prætextu malo exercitus transportārunt. Numantiam illic non multo post exciderunt: quā bello iniustissimo petierunt: vt Florus ipse Romanus affirmat. Agite, in Africam trajiciamus, bella concludamus Punica. Vrbem Carthaginem, & Punicum imperium quo tandem iure, quibus artibus extinxerunt? Ius dictum omnibus est, quòd æmulam in propinquo potentiam rebus tutam suis non censuerunt. Catonis ficum de Plinio meministis, & cavillationem tenetis, auditores. Artes nihilo iustiores, cōsilia vaferrima, doli pessimi. Masinissam vicinum adponunt, infensissimum: ad cuius iniurias quē manifestas connivent, cum & possent, & deberent eas prohibere: & simularent etiam legationibus missis futurum, vt prohiberent. Quid enim, quid Numida ille obtendit, vt rapere Carthaginensium bona possit? Carthaginensibus scilicet in Africa nec terræ pedem extra Byrsam esse oportere: tantum enim, nec præterea quidquam, imò hoc tantum callidisque commentis Didonem Tyriam accepisse. Nota sectio corij, de qua loquitur Masinissa. Sed itáne septingentorum annorum possessionem, & iura vetustissima cóvellere licet? Verè igitur Carneades vobisque Romanis dicebat, quod si iusti esse velletis, ad casas redire vos, vnde prodijstis primùm, ex imperio isthoc orbis terrarum oporteret. Barbaram rationem barbari. Ecce autem Pœni ad Romanorum pedes devoluti, intolerandam Masinissæ avaritiam, & superbiam conqueruntur: se trium rerum vnam sinerent impetrari rogant cum lacrymis, vt vel ex æquo apud socium populum, quod cuique esset, disceptarent, vel permitterent Carthaginensibus, vt adversùs iniusta arma pio, iustoque se tutarentur bello, vel ad extremum, si gratia plus quàm veritas apud eos valeret, semel statuerent, quid donatum ex alieno Masinissæ vellent. & cætera, quæ Livius executus est. At Romani tamen nihil afflictos istos iuvant. Et probus ille Africanus missus inter eos & regem arbiter, inimicitias vigere passus est. Et ipsi Pœni cum sibi prospicere cogerentur, violati fœderis accusantur Romæ, declarantur hostes. Quid facient? Audiamus de

Appiano:

Appiano: Tradite (aiunt Romani) obsides, pecunias tradite, & vivetis, & libera vobis civitas relinquetur. Tradunt. Tradite naves, arma. Quid? Prioribus conditionibus non perstat fides Romana? Sed naveſque, & arma tradunt. Tradite, (hem nec perstat secundis. Et Romanus perfidiam Pœno objicit?) tradite vrbem, imò subruite a fundamentis: alibi hinc longè aliam ædificate. O monstra! Sed de civitate, aiunt, quæ civibus, hominibusque, non de vrbe, quæ muris, & parietibus constat, illis promisimus. Sed iterum ego, O monstra, & portenta terrarum! O turpem captiunculam, quam nec, qui a syllabis toti pendēt, admittere legulei sine stomacho possent! Quid hîc recitem Consulis, sceleris huius administri, orationem, quâ miseris, deceptisque Pœnis patriæ ruinam, & novæ ædificationem vrbis persuadere conatur? Oppono illi orationi orationem Camilli de non migrando Veios. Ergo deleta Carthago. Deleta Numantia. Altera in Occidente, altera in Meridie Romanæ improbitatis, & feritatis monumenta. Sed quid factum in Oriente? Corinthus totius Græciæ lumen eversa. Et tu censes, in libris de officijs Cicero, specie vtilitatis in ea disturbanda, & evertenda peccatum. Facinusque indignum alij clamitant: quoniam & oppressa fuerit ante, quàm in numerum certorum hostium referretur. Illa commemorare non attinet, quæ Polybius, Trogus, Pausania, & nemo non literis tradidit, gesta a Romanis turpiter, vt concilium Achaiæ dissolueretur. Vnde Corinthusq;, & reliqua Græcia conflagravit. Ita voluerunt & coniunctionem dissolui Agrippæ, & aliorum regum: quod Iosephus in libris Antiquitatum explicavit. Cæterùm ad initia ire oportet, & causas decet intellexisse, cur Græciam Romani adeundam, armis Orientem aggrediendum existimarint. Græcia in servitutem petita, & adiutus Annibal auxilijs pecuniaque Philippum (aiunt) hostem fecêre, & arma Romana in Græciam devocârūt. At verò ab alijs audio, cultumque Philippum a Romanis post etiam quàm hæc Annibali præstita cognovissent. Vt si dissimulatione aboletur iniuria, quod asserunt iuris periti, cultu abolitam magis adfirmare, verè possimus. Nec sanè iniurias illas veteratores nobilissimi, sed Græciæ vnam libertatem obtendunt: ad quam videlicet defendendam Ætolorum rogatu accesserint. Quales socios! communes omniū hostes, rapacē

perpetuò,& ferinã vitã ducentes,nec quidquã propriũ cuiuſq;,ſed prędę expoſita omnia reputãtes:ſacrilegos,nec pacis vllũ,nec belli modũ obſervãtes:Greęcis ónibus deteſtabiles.Vt hęc,aliaq; plura Polybius ait.Ad deprędãdã igitur,nó ad ſervãdã Græciã profecti ſunt, deducti a latronibus manifeſtarijs latrones ipſi, & latronum fautores certiſſimi.Supereſt enim,ſupereſt veſtigium legis duodecim tabularum,quâ piraticas ſocietates adprobarunt.Extat apud Strabonem,extat Alexàdri, & Demetrij regum exprobratio Romanorum latrociniorum,& Romanæ piraticæ. Et Balearibus tamen propter paucos improbos hujuſmodi inferunt bellum. Inferunt propterea bellum &Illyrijs,cum horum tamen regina,effecturam ſe,promitteret,ne qua a ſuis iniuria publicè Romanis fieret: nã de privatis quis audeat reſpondere?Singuli non nocent vniverſitati. Hoc prætextu bellatum cum Iſtris,Dalmatis,Liguribus,cum alijs ab vrbe cõdita, a prædonibus iſtis ab vrbe condita:prædonibus in bello ſemper, in pace ſæpè. Iudicium in Ardeatium, & Aricinorum cauſa an obſcurum,quo rem litigioſam neutri partium,ſed ſibi ipſis adiudicârunt? An mẽtitum exiſtimemus Ciceronem, qui piratarum fidem meliorẽ,quàm Senatus ipſius alibi facit?an illic, vbi piratas immunes, ſocios victigales Romanis habitos ſcribit? Cæterùm ab AEtolis non diſcedamus.His auxilia a Romanis nec verè ſummiſſa,at ſpeculatores rerum Macedonicarum immiſſos, notat verè Pauſania.Et itaq; AEtolos ab ipſis deſertos(Livij vtor verbis)quibus voluit condicionibus ad petendam,&paciſcendam pacem Philippusſubegit. Atq; hoc tamen in peſſimam partem Romani capiunt, & AEtolis vehementiſſimè iraſcuntur.Sed elegans alterumq; commentum,quo in Ætoloſq; moventur pro Acarnenſibus. Quod illud, auditores? Nempè Acarnanes ſoli Ilium profecti olim non ſunt, nec matrem Æneadum antiquam cum reliquis Græcis oppugnârunt. Putabamus barbaris iſtis ingenij acumen vllibi defuiſſe?At tandem illos ipſos ſocios Ætolos, quorum inductu,opibuſq; Macedoniam vicêrunt,ſuum ſub imperium cur adegerint, ſi quis de Romanis petat, reſponſum non accipiet magis, quàm hoc ipſum interroganti Alexandro in Cæſaribus Iuliani Cæſar reſponderit. Ætolorũ caſu oppreſſus Antiochus,& in regna Orientis penetratum eſt. Quę aliàs &

attrectata a Romanis impudenter,inde intelligere valemus, quod Iudęis a rege ſuo deficientibus libertatem tribuerint,facilè(ait Trogus)largiti fuerint de alieno. Tenent Romani Græciam. Tenent Cretam Metelli prædam ambitionis.Tenent Cyprum Clodij quæſtum turpiſſimum,omnibus vituperatum, a Catone tamen illo ſanctiſſimo,nec ſine grandi nota avaritiæ,confectum.De Antiocho rege idem,quod de Philippo,dicimus:blanditoſq;Romanos ei muneribus,legationibuſq;:mox inſultaſſe,nullam pacis aut honeſtæ, aut tolerabilis ſpem reliquiſſe.Ita cum Perſeo,ita cum alijs egêrunt omnibus. Si quid ſecum non probè actum cauſſari ſemel potuerunt, hoc aliâ ratione emendari paſi ſunt nunquam, niſi adverſæ partis excidio ſupremo.Nam quod illud a Perſeo actum eſt, quod expiari non potuerit aliter,atq; ſi ſe,regnumq; ſuum, & ſua omnia dedidiſſet?Fœdere,quod vobiſcum icerat pater,& ipſe poſteà ratum habuerat,teneri ſe non ferebat?Veſtris amicis iniurius fuit? Sed his potiùs reſtitit,& ipſorum armis ipſe,quàm bellum intulerit vltrò,iniuriam ſponte fecerit.Hic veſtræ controverſiæ cardo. Si namque vera Perſei defenſio eſt Livij libro quadrageſimo ſecundo, nihil attinet de iure fœderis diſputare. Sed fœduſq; amplexurum ſe Perſeus,ſatisfacturum Romanis per omnia,& cum nobili hos viciſſet prœlio, vltrò ſpondet,nec auditur niſi ſe dedat,& de ſumma rerum liberum Senatui permittat rex de ſe,deq; vniverſa Macedonia ſtatuendi jus. Quid Antiochus tantum meruit mali,vt niſi maximâ,& nobiliſſimâ imperij parte ſpoliatus,ingenti ſtipendio oppreſſus, immani pecuniarum ſummâ multatus,claſſe,elephantis,pacem a vobis nequierit obtinere?Si jus expetijſſetis,non ejus divitias, ius tantam pœnam infligi Antiocho non oportere docebat.Sed vna, & ea vetus cauſa bellandi profunda cupido imperij,& divitiarum,An præcipuè de vobis Salluſtius veſter non loquitur? Reſtat Mithridates.Hunc artibus conſuetis circumventum a Romanis,liquet,quòd Nicomedem ſcimus immiſſum, qui fines illius attrectaret, & vinceretur. Et ita pro victo ſocio bellum ipſi ſuſciperent, & victorem vincerent regem maximum.Hoc Romanę dominationis arcanum,auditores,vt latiſſimè extenderent amicitias, & reciperent plurimos in ſocietatem, non ideo vt tuerentur eos,ſed vt illorum occaſione alios opprimere

potuiſſent. *Noſter populus ſocijs defendendis, terrarum iam omnium potitus eſt:* ait Cicero. Nam hoc eſt ſcilicet defendere; ſi evertas omnes, & cuncta rapias ad te vnum. Hoc eſt patrocinium orbis terræ, vt idē alibi ſcribit, orbem terræ vniverſum libertate exuere, dominationi veſtræ, faſcibus, ſecuribus ſubjicere. Ita vicerint Mithridatē. Vicerint? Si corruptum a Romanis filium Mithridatis, qui patrem vincendum tradiderit, nos contendemus, quis ſtabit contra, ſi illumq; filium in paterno ſolio collocatū a Romanis mox viderit? O mendaciſſimum Claudianum, qui canere potuiſti,

Romani ſcelerum ſemper ſprevêre miniſtros.

An enim proditori arcis Artenæ præter libertatem duarum familiarum bona in præmium data non ſunt? Quid? Viriatum in Hiſpania, Iugurtham in Africa, Annibalem apud ſuos in Africa, apud alios in Aſia & Europa turpibus petitos dolis, & oppreſſos non novimus? Equidem illam audio nūquam ſummi ducis vltimam vocem, *Liberemus diuturnâ curâ populum Romanum, quando mortem ſenis expectare longum cenſent, & legatum conſularem, qui auctor eſſet Pruſiæ per ſcelus occidendi hoſpitis miſerunt.* Hanc ego Annibalis ſupremam orationem nunquam memini, quin ad immanitatem, & turpitudinē Romanam non cohorreſcam. Nobiliſſimum hunc ducem, cuius parem Sol hactenus non aſpexit, dum crudelitatis, impietatis, perfidię video accuſari a mancipijs horum carnificum teterrimorum, non commovear veheměter, auditores? Ecquæ tu crudelia, Livi, impia, perfida Annibalis recenſere potes? *Iuſſit puberes Sagunti omnes occidi. Crudele, cæterùm & neceſſarium,* ais tu, & iuſtum ego ex iure belli defendo. Quid Romani ni? Non modò homines quoſuis in captis civitatibus obvios cædere, ſed & canes diſſecare, & aliorum animantium membra truncare ſoliti. *Vicinias tamquam vi captas, non deditas diripiendas tradidit.* Sed non me dies deficeret, ſi talia Romanorum exponere velim? Quid enim de Pometia ſcribis tu? Nihilominus fœdè actum cum ea dedita, quam ſi capta foret. Principes ſecuri percuſſi, alij venditi, vrbs diruta. Narrē ſingula? Quid vnus ille laudatiſſimus vobis Æmilius victor Macedoniæ in Epiro egit? Vrbes diripit, evertit ſeptuaginta: quas & ſub ſpecie amicitiæ ingreſſus eſt, dolis malis, perfidiâ peſſimâ, mendacijs turpiſſimis. Non recito,

quæ

quæ ſunt innumera. Sed an Vicuvias tu non vi captas cenſebas, ad quas in ẽptionibus pugnatũ, ductus exercitus victor duorũ Conſulum eſt? Num & tu putas, agi tãquam cum deditis oportere ſemper, vbi ſe aliqui dedant, etſi capti iam iam forent, nec vlla eſſet ſalutis ſpes? Quid igitur prohibet, quominus vi capiatur nemo? *Maharbal fidem dat dedentibus ſe, abituros incolumes: Annibal (quæ Punica fides) in vincula omnes coniecit.* Sed, an potuiſſe cum Maharbale eos paciſci, putas? Eccur igitur Sophoniſbæ pacta cum Maſiniſſa ſervãda ſibi non ducit Scipio? Nimis aberras, Livi, a iure ſemper, dum ſententias iuris profers. *Annibal, quas tueri vrbes nequit, ſpoliat, vt vaſtata hoſti relinqueret: præceps in avaritiam, & crudelitatem animus.* Hoc videlicet tuæ imperitiæ iuris bellici teſtimonium per ſe, Livi, luculentiſſimum eſt. Et hæc ſunt omnia, quæ narrare contra Annibalem potuiſti. Eius benignitatem cum captivis ad Trebiam, ad Tranſimenum, ad Cannas notaſti tamen. Fidem erga præſidium Caſilini adſtruxiſti. Pietatem in Gracchi, AEmilij, & Marcelli exequijs ſuſpexiſti. Quid tui? Caput Aſdrubalis ante ſtationes, & Annibalis fratris oculos proiecerunt. Itáne gratias barbari retuliſtis? Quò me tamẽ iuſta hæc Annibalis defenſio traxit? De Mithridate dicebatur. Infœliciſſimus porrò ipſius caſus ad quartam, quæ ſuperarat pura, orbis partem ſcelerum Romanorum monumentum erexit. Extinctus Mithridates totũ etiam Septentrionem ruinâ ſuâ involuit. Poſt hæc regni Numidarum excidium, connivente populo Romano ad mortes lamẽtabiles liberorum Maſiniſſę ſocij optimi, & eas vlciſcente mox ad prædam accipiendam adeò turpiter, vt veriſſimè Roma abeũtem Iugurtham exclamaſſe tradunt, *Urbem venalem*. In Gallias itum poſtea ductore libidine Cæſaris: tentata Germania, atq; Britannia. Quid ais Cato? Dedendum Cæſarẽ his gentibus, qui eas iniquè aggreſſus eſt armis, cenſuiſti. Sequuntur regna, teſtamentis delata populo Romano, Pergami, Bithyniæ, Cirenes, Ponti, Alpium Coctiarum: ex quibus dejecti ſcilicet hæredes naturales ſunt: quorumq; jus non a voluntare regis ſive morientis, ſive deſipientis, ſed vel ab antiquo iure immutabili, vel a conſenſu populorum pendet: quoniam regis quod quod eſt ius in regnum, illud cum ipſius vita protinus finit: nec lex vlla eſt,

aut ratio, quæ principi de imperio faciat poteſtatem teſtandi; vt privatis de rebus privatis facit. At verò reliqua, quæ confecta ſub Cæſaribus ſunt ad Trajanum vſque, quouſque imperium Romanũ crevit, non opus eſt perſequi: nam & privatæ Cæſarum cupiditatis ea dicentur: & non magna, aut ſi magna, nexa prioribus, quæ narravimus, extiterunt. Ecquid Cæſarem clamem tyrannum? In quo nomine vno ſcelera omnia concluduntur. Quid impuriſsimum Auguſtũ? Nequiſsimum Tyberium, Caium furentem, Claudium ſtolidum, Neronem parricidam, ſordidum Galbam, Othonem libidinantem, Vitellium ventris mancipium, avarum Veſpaſianum, Titum hypocritam, ſanguinarium Domitianum, nullum Nervam, & ipſum Trajanum ambitioſisſimum & flagitij infamis compertisſimum? Agite. Occiditur Cæſar, veneno ab vxore perit Auguſtus, Tyberius ſuffocatur, interficitur Caius, Claudium veneno tollit vxor, Nero carnifex ſui, trucidatur Galba, Otho jugulum aperit ſibi, Vitellium & cũ ludibrijs perimunt, Veſpaſiano mors a Tito filio, Tito a fratre Domitiano eſt, & hic gladio occumbit, nullus Nerva nullus obijt, Trajanus ab vxore & filio conficitur. O principes ſanctos! O ſanctum populum! O virtutem, cui parêre orbis terrarum debuerit! Fortunâ factum Romanum imperium, libro integro Plutarchus diſſeruit. Et fortuna vtique muliebris ſervavit a Volſcis vrbem: & ei templum ædificârunt. Et anſer a Gallis ſervavit,

Romulidarum arcis ſervator candidus anſer:

dixit Lucretius. Primamq; adeò Cenſoris curam locare in Capitolio victum anſeribus, ſcripſit Plinius. *Mira*, inquit Vegetius, *fortuna, viros, qui vniverſum orbem erant miſſuri ſub iugum, avis vna ſervavit.* Aliò refert Auguſtinus vrbis iſtius ſummum incrementum: & Babylonẽ in Occidente quoq; eſſe oportuiſſe putat. Diſputat alio volumine Plurarchus de Alexandri virtute: cui Livius virtutem Romanam, longa vſus digreſſione, præponere nõ vererur; ita cæcus vbiq; ab amore ſuorũ eſt. Et ſuis illis Corvinis, Curſoribus, Torquatis, Decijs, Curijs non fuiſſe in Alexandri exercitu qui opponerentur dememinit Ptolomæos, Lyſimachos, Parmeniones, Perdiccas, Seleucos, Antigonos, Hephæſtiones, alios plures, viros regales, & quos regno Alexandri non indignos, qui nec Alexandri virtutibus inferiores fuiſſent,

fuiſſent, veterum ſententiæ ſingulos cenſuerunt. Quid reſpondeam ſingulis Livij rationibus, & iam iã iſta actione abſoluta in novã diſputationem deſcendam? Paréſne Alexandro fuiſſent iſti, qui Alexandrum in alio propemodum orbe verſantem venerati legationibus ſunt? Qui Pyrrho (quantulus rex ſi cum Alexandro conferatur & regno, & exercitibus Macedoniæ?) ita conceſſerant, vt Apppius cæcus, ſine auribus quoque ſe eſſe optârit, ne abiecta, & deplorata civium ſuorum cõſilia intellexiſſet. Intellexiſtis vos, auditores, ſi fraude, an virtute Romanum imperium crevit. *Romanus ſedendo vincit*, vetus proverbium, ait Varro. *Plura moribus, quàm viribus vicimus*, inquit Quinctilianus. Quæ ſeſſio? Qui mores? Fraudes audiſtis; quibus iniuſtitiã nullã capitaliorem, Cicero rectiſsimè definivit. Dolis, & fraudibus homines ingenuũ, atque generoſum belli morem ſequentes fallendi, ac decipiendi neſcios decepiſti: Vlyſſi neſcio quis apud Plutarchum dicit: ſed quæ Romanis conveniunt meliùs; & quod verſutiæque nomen virtutis, a malitia perquàm alienæ, indiderunt. Qua & virtute imperium retinuerunt? Voluptatibus, pluſquàm armis, ait Tacitus. *Orbem quem ſubegimus, laſcivitas noſtra defendit*, inquit Seneca. Extrema ędificiorum, pictoris more, deliniamus jam, non exprimimus: indicamus, non explicamus. Et quî poſſumus aliter, ſi intra anguſtias breviſsimæ tabulæ depingere mille annorum geſta per orbem totum, donec is in vrbem concluderetur vnam, debuimus? Si hanc vrbem intuemini, ſpectatores, nec extrema ædificiorum quærenda ſunt vobis. Alij enim iſti Suevi latisſimeque vacare circa ſe agros voluerunt: & quibus in locis nobiliſsimæ olim vrbes cernebantur, poſtea Romanorum ſervitiorum tuguria vix invenies. Capuam aſpicite, in qua lenitatis ſpecimen extare voluerunt. Nobiliores enecti crudeliter, venundati alij, aut in nullam ſpem reditus diſſipati: relicta tecta, vt eſſet aliqua aratorum ſedes: ſepulcrum, & monumentum Campani populi relicta crudeliùs habitanda, quàm ſi deleta foret. Oculos in Macedoniam vertite, & Illyrium, ſecta in partes regna, commercia omnia partibus interdicta per humani deſertionem iuris, diſtracta tamquam animalia in artus alterum alterius indigentes. Videte Perſeum regem cum filijs & omni nobilitate abductum

in Italiam, vigilijs in carcere confectum, & filiorum vnum Albano magistratui scribam tolerantem vitam. Hæc jactata populi Romani, & laudata clementia. Iubam Mauritaniæ regem vivere propter eius eruditionem voluerunt, sed duxerunt in triumphum, & cęciderunt flagris. An vos ista ab hominibus hujus cœli fieri potuisse censebatis? Sed principibus summotis populos in libertatem adduxerunt, pacem terris constituerunt, quibus soli ipsi moderabantur. Vanam speciem, & inane nomen libertatis dicebāt illi, quorum nec vanam criminationem Livius etiam confitetur. Precaria libertas alijs, Romanis imperium erat. An est libertas, quæ in alieno arbitrio posita est? Vbi autem vastitatem fecerunt, ibi pacem se constituisse defendebāt: vt Britannus probè apud Tacitum clamat. O prędones orbis terrarum: quos neq; Oriens, neq; Occidens satis expleverit: quiq; cum in vrbe illa integrum orbem concluserint, etiam tuguriola Britannorum concupierunt: vt Britannus itidem verisimè exclamabat. O civitatem vnam in humani generis pernitiem natam: vt Arnobium sanctè dicentem audimus. O benignitatem Italorum importunam, qua reliquiæ illæ Danaum, & mitis Achilli pellectæ ad vos, receptæ in sinum vestrum fuerunt, fotæque in vestram, & mortaliū omniū perditionē: sceleratorū barbarorum, adulteri Paridis, proditoris Æneę progenies scelerata. Vbi virtus, vbi virtus, M. Tulli? Fortunę templa permulta, & ab vrbe statim condita, in vrbe posita publiceq;; virtuti vix vnum, a privatoq; homine, seroq; ædificatū animadverto. Atq; cum innumeros, & propudiosos in opido deos habueritis, Quietis templum tamen extra pomœrium esse voluistis. Nunquam in republica vestra virtus vera habuit: & tritum apud vos verbum, *Augeri rempublicam sine iniustitia non posse*, apud vos, ac de vobis natum, confirmat Actionem nostram: nec tu infirmas, Cicero, qui civilem, hoc est versutam, iustitiam in republica tua fuisse contendis: nam veram, germanamque fuisse non vincis: vt doctè Lactantius contra te disputavit. Ita sine virtutis cultu annos ferè sexcentos, sine virtute ipsa semper, semper & sine quiete, in parricidijs, sacrilegijs, perfidijs, proditionibus, cædibus, cupidinibus insatiabilibus nati, educati, ab ortu primo, per ætates omnes, ad imperij ejus fastigium pervenistis.

niſtis. Sed partum malè, adminiſtratum peiùs, diſperſum peſſimè, & diſſipatum funditùs (quæ divina, tarda ſæpè, nunquam ſera, iuſtitia fuit) orbis vniverſus, ſervituti ſubductus lamentabili, intuetur, & ridet.

FINIS.